


913.376

B53d



Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

<https://archive.org/details/deromaeurbisnomi00birt>

UNIVERSITY OF  
ILLINOIS LIBRARY  
AT URBANA-CHAMPAIGN  
CLASSICS



INDICES  
LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

INDE A D. XV. M. OCTOBRIS MDCCCLXXXVII USQUE AD D. XV. M. MARTII  
MDCCCLXXXVIII

HABENDAE PROPONUNTUR.

---

De Romae urbis nomine deque robore Romano commentariolum praemisit *Theodorus Birt.*

---

---

M A R B U R G I.  
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

87/14



ACADEMIAE MARBURGENSIS  
RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

In proemiis academicis, quae ad commilitones scribuntur, cum hucusque argumenta impeditiora per subtiliores disputationes proposuerim, hodie lusum pro prolusione dabo expeditum et quasi discinctum. Vix enim displicebit, ubi noua non docemur, eorum saltem reminisci quae fere obliuio terit uel obseruantiae defectus.

Bellicam uirtutem inter uirtutes Romanorum quasi aquiliferam agmen ducere pueri didicimus. Hinc est quod in laudationibus antiquorum Romanorum primum semper celebrantur fortia facta, postmodo oratoria facultas uel legis latura; hinc est quod Numae legum tranquillarum conditori antecedit et tempore et gloria bellator Romulus. Hinc est quod Liuius, ubi litterae et otii artes primum Romae constiterunt, non potuit non urguere nouam hanc rem fuisse bellicoso populo (VII 2, 3). Ex eadem fortitudinis confidentia et alia et uetus prouerbium illud fluxit superbum, quod audit: *Romanus sedendo uincit* (Varronis de r. rust. I 2, 2); indidem iudicium non minus uirtutis conscium, quod in populorum conspectu posuit Plinius nat. hist. VII 130: gentium in toto orbe praestantissimam unam omnium uirtute haud dubie Romanam exstitisse. Idem iudicium quatenus patuerit obseruationibus nonnullis magis etiam declarare in animo est.

Aetate imperatoria maxime inde ab Augusti tempore milites natione peregrini, qui in legiones Romanas legebantur, simul ciuitatem Romanam acciperent necesse fuit. Tales legionarios tribu Polliae adscribi fere sollemne fuit; quae res maxime ex militum indicibus plenis in Aegypto repertis innotuit rettulitque de ea Mommsenus in ephemer. epigr. V p. 14 sq. 1), unde didicimus uernis castrensibus tum datam esse tribum Polliam, cum probarentur milites facti in legione et »cum in Aegypto coloniae municipiaue Romanorum nulla essent itaque dilectus etiam legionarius ad peregrini iuris homines maxime perueniret, in ea prouincia mansit, ut ibi in legionem adsumpti, siue castrenses essent siue Alexandrini siue aliunde oriundi, ad Polliam tribum potissimum referrentur«.

1) cf. quae dixit idem in Hermae XIX (1884) p. 11.

Cur autem maxime ad Polliam? Omen fuit in nomine <sup>1)</sup>. Posthabitaе sunt Aemilia Galeria Romilia Voturia Lemonia reliquae, ut exercitus pollentis partem se esse persentiret legionarius. Quamquam satis raros in litteris locos esse uideo, ubi pollendi uerbum ad res militares adhibitum sit; quod uocabulum Cicero in orationibus omnino spreuit; uocari tamen in comparationem potest Pollentiae statua quae fuit in circo (Liuii 39, 7); Herculi uictori pollenti potenti dedicatum est CIL. VI 328. Ceterum classem pollentem mari Velleius dixit I 2, 5 scripsitque Tacitus hist. III 55 de Vitellii copiis: *tot milia armatorum ... inferendo quoque bello satis pollebant*. Silio Italico XIV 338 pollere uisus est in oppugnatione Syracusarum exercitus Marcelli, pollentior tamen Archimedis calliditas:

astus pollentior armis

Marcellum tantasque minas terraque marique

Arcebat.

Inter postremos *qua Martia pollet Acincus* de Acinco Pannoniae oppido Apollinaris Sidonius cecinit carm. V 107. Prudentiusque de urbe ipsa in periteph. 10, 414: *Roma pollet auspicato condita*, sic ut toto orbe pollet apud Florum Romana maiestas (IV 2).

Superuenit Eugenius Bormann qui iam antiquioribus temporibus idem ualuisse Polliae nomen doceret <sup>2)</sup>. Romani enim subiecta Gallia cispadana ut stabile fieret imperium ad uias Flaminiam Aemiliam oppida aut condiderunt aut firmarunt ac munierunt sat multa: Bononiam Placentiam Fauentiam Parmam alia. Interque haec oppida ea, quibus tunc dabatur ciuitas Romana, adscripta esse uidentur ad unum omnia eidem tribu Polliae. Munus autem eorum id fuit nimirum ut contra Gallorum transpadanorum hostilem impetum ui et armis tutarentur agrum Romanum. Ecce tribus potens pollensque circa ipsos fines Romani nominis. Neque ideo uel ipsa oppidorum quae dixi nomina casu imposita esse credes <sup>3)</sup>. Nam et *Parma* et *Husta* (siue *Asta*) arma ac tela clare sonant acceditque ipsa adeo *Valentia*, accedit *Pollentia*. Similiter quam in agrum Picenum deduxerunt coloniam *Potentiam* uocarunt.

Atque omen non fefellisse annales imperii Romani demonstrant. Promam exemplum longinquum, sed admirabile aetatis infimae eius, ubi iam ad occasum uergebant res publicae. Romanorum ultimus iure quodam uocari possit Stilicho urbis propugnator, Alarici depulsor; atqui ne tum quidem spem frustrarunt Pollentia et Hasta; haec enim oppida sunt, ubi hostem barbarum ille deuicerit, id quod prodit eius laudator Claudianus <sup>4)</sup>; pugnam uero illam Pollentiacam proprio carmine celebravit idem, ibique idoneis sane uerbis scriptum est (u. 635):

O celebranda mihi cunctis Pollentia saeclis,

O meritum nomen, felicibus apta triumphis!

Vides quid etiam tum contra Gallum germanum Pollentia ualuerit. Claudianus autem omen in nomine esse aperuit: *aptam triumphis* esse dicens ac *meruisse nomen suum*. Atque admirari possis quod iidem barbari in campis fere iisdem iam olim a Mario

1) Mommsenus l. l. p. 15 adn.

2) In »Archaeol. epigraph. Mittheilungen aus Oestereich«, ed. Conze et Hirschfeld, X p. 226 sqq.

3) quod idem obseruat Bormannus p. 228.

4) de VI cons. Hon. v. 202 sq.: *Pollentia .... aut moenia uindictis Hastae*.



profligati sunt; Vercellae enim non multum ab Hasta Pollentiaque abiacent <sup>1)</sup>. Cuius memoriae aptissime recordatus est Claudianus finem carmini imponens et hanc ibi tropaei inscriptionem proposuit (u. 645):

Hic Cimbros fortesque Getas Stilichone peremptos  
Et Mario, claris ducibus, tegit Itala tellus.  
Discite uesanae Romam non temnere gentes.

Superstitionem deprehendimus uere Romanam. Vi ac robore uincant legiones; uim ac robur ostendant nomina. Iuuat in comparationem uocare id quod tradidit Festi epitome p. 121 M. <sup>2)</sup>: sicut enim in uectigalibus publicis lacus »Lucrinus« primus fruendus locabatur »omnis boni gratia«, ita etiam si census fiebat »primi in censu nominabantur Valerius, Saluius, Statorius«. Itaque et hic quoque primo loco excitandus esse uisus est a ualendo dictus Valerius!

Iusta autem et uera illarum denominationum causa altius ni fallor repeti potest. Nam ipsa Roma unde tandem nomen suum habere credebatur? An non haec ipsa quoque *ῥώμη* fuit, non et ipsa robur ac uis et quasi Valentia? Itaque accidit casu sane diuino et prodigiali, ut huius urbeci nominis sine dubio antiquissimi quasi praesagio id iam indicatum esset, quod per saecula postera Romanorum semper maxime proprium habitum est: fuitque urbs eponymos. Ita Aristides qui laudes Romae conscripsit statim in exordio p. 119, 8 Cant.: καὶ ὅσπερ τις ἀνὴρ πολὺ νικῶν τοὺς ἄλλους μετέθει τε καὶ ῥώμη οὐκ ἀγαπᾷ μὴ καὶ ἄλλους ὑπὲρ αὐτὸν ἀράμενος φέρειν, ὡς δὲ καὶ ἴδε . . . Ὁς ἄρα ἐπώνυμον αὐτῆς τοῦ ὄνομα καὶ οὐδὲν ἄλλ' ἢ ῥώμη τὰ τῆς δε.

Quaeritur quam antiqua haec interpretatio fuerit uocabuli nobilissimi et quasi aeterni eiusque num conscius fuerit senatus populusque Romanus. Atqui in urbe omnino non conscius uix quisquam unquam fuisse uidebitur.

Et primi euoluantur urbis annales. Liuius ubi Roma quomodo condita sit plene enarrat de nomine tamen nihil, nisi conditam conditoris nomine esse appellatam (I 7, 3); nec aliter iam de Romulo apud Vergilium uaticinium est Aen. I 277: *Romanosque suo de nomine dicet*, de eodem Dionysius Halicarnassensis antiqu. II 2: *τοῦ ὄνομα αὐτῆς τῆς ἰδίας κλήσεως ἐπώνυμον τίθεται* praeiueratque Varro de l. lat. IV 50 (cf. V 144): *ab Romulo Roma*. In istis scilicet rerum grammaticarum incunabilis Romulum potius ex Roma deflexum esse debere ignoratum est. Continuemus uero Liuii lectionem et quid re uera senserit comparebit. Qui ubi acta Romuli adnectit in notione ualidi ac uirium mirum quantum insistit. Confluxit Romam ex finitumis populis turba hominum perfugarum *idque primum ad coeptam magnitudinem roboris fuit* (I 8, 6). Sic primum *ῥώμη* parata est, sequitur *βουλή*: *rex cum iam uirium non paeniteret, consilium deinde uiribus parat* (I 8, 7). Et mox: *iam res Romana adeo erat ualida ut . . . bello par esset* (I 9, 1). Itaque in agrum Romanum impetus fit Caeninensium: Romulus leui certamine docet *uanam sine uiribus iram esse* (I 10, 4)! Deinde bellum cum Fidenatibus

1) Cf. Sili Ital. VIII 597: *Vercellae fuscique ferax Pollentia uilli*.

2) Cf. Bormannus l. l.

unde ortum sit audimus; hi nempe nimis uicinas prope se opes *conualescere* arbitrantur et bellum facere occupant prius quam tantum *roboris* esset quantum futurum apparebat (I 14, 4). Postque hos deinceps hostes Veientes concitantur: ecce *ibi uicisse rex Romanus* dicitur *uiribus nulla arte adiutis, tantum ueterani exercitus robore* (I 15, 4). Iamque Romanum robur confirmatum est; tandem urbs, cum rex decederet, *ab illo uiribus datis tactum ualuit, ut tutam pacem haberet* (I 15, 7). Liuius itaque talia dum scribit de robore, de uiribus datis, de conualescendo et ualendo, an non callebat urbem eponymon?

Uim esse Romam, quia uilissima triualis contrita pueris sapientia fuit, taeduit eam tradere elegantiores. Propterea et Liuius eam et reliqui eiusdem census scriptores iure suo ut nouerunt ita tacent unanimes. Nihilominus qui cum cura lectionem faciet, locutiones apud illos, quibus ad rem plane et distincte adludatur, non paucas facile comperiet. Earumque aliquam hoc loco comportans portionem operae pretium mihi facere uideor.

Et Roma quoniam uis est, plerisque *uim Romanam* uel *uires Romanas* (et sic semper fere poetis) circumscripte dicere placuit, ubi de ui maxime militari sermo fuit, uelut Liuius IV 61: *omnis uis Romana Ueios conuersa est*. Apud Tacitum ann. XIII 54 Auitus Frisios ad preces perpellit *minitando uim Romanam*; regesque barbaros scriptor idem ann. III 60 commemorat qui ualuerint *ante uim Romanam*, hoc est ante quam hanc uim passi sunt. Ita Traianus *uires Romanas* trans Istrum propagasse Hannibalque contra contudisse olim *uires Romanorum* dicitur (cf. Aurelius Uictor Caes. 13, 3; Ualerius Maximus III 2, 11). Neque aliter *perempto milite uires Romanas prosternere* ardet Rufinus apud Claudianum I 307.

Atqui locos hos quos adscripsi quique similes sunt quamuis memorabiles, leuioris tamen momenti esse aestimo. In plerisque enim scriptores quam apte et quam proprie loquerentur ipsi certe minus percipiebant. Item quod robur exercituum pro fortissima eorum parte sollempni fere elocutione usurparbant, ne hoc quidem nimis arguemus, etsi quantopere Romae in deliciis fuerit roboris sensus, uel inde optime illustrabitur<sup>1)</sup>.

Acutius tamen alia dicta inuenio in iisque iucundissimam uocum ambiguitatem nemo Romanus non deprehendebat; neque enim tales ambiguitates uitiosae erant, nisi aut scurrile sapiebant aut aenigmatis obscuritatem. Augustum Horatius gloriatur artes ueteres

1) Adscribam e. g. Valerium Maximum qui de fortitudine Romanorum copiosius disserens III 2, 10: *qualis demum roboris illi milites qui eqs*. Ita *uires et robur exercitus* Tacitus hist. I 87, *robur legionum* idem ann. XII 39 et *uires legionis* hist. II 66. *Robora militum* ex exercitibus eliguntur apud Liuium VII 12, 9, *ueteranisque exercitus robur* idem ponit I 15, 4. *Et robur et suboles militum interuisse* dicitur apud Ciceronem ad diuers. X 33, 1; *legiones robustissimas* idem ibidem uocat VII 3, 2, *robur copiarum* de domo 67, *florem Italiae ac robur* Catil. II 24. Idem ualeat *robur Romanae pubis* apud Symmachum in laud. Valentiniani I 9. Tacitus autem semel eo prouectus est audaciae, ut *uires* eodem sensu absolute substitueret hist. II 74. Denique Claudianus quod in laude Serenae v. 58 *robore Gallici* tantum *militis* Stilichonem tutatum esse canit imperium Romanum, hic locus fortasse haud inutiliter iis quaestionibus admoueri potest, quas insigni qua utitur doctrina Mommsenus tractauit in Hermae t. XIX p. 1 sqq. de rationibus exponens, quibus milites aetate imperatoria conscribi per singulas prouincias soliti essent (uide praecipue p. 55); Stilicho certe ex tribus Galliis potissimum suas legiones composuisse uidebitur, adhibitis fortasse etiam Germaniis prouinciis, si quidem Gallus non insolita confusione pro Gallo et Germano simul dictus esse potest.

reuocasse, per quas olim Roma creuerit; Romam tamen ponere noluit ediditque argutius dictum, Carm. IV 15, 13:

Per quas Latinum nomen et Italiae  
Creuere uires.

Et breuius et planius ubi ciuilia bella plangit idem appetiit Horatius scribens in ecl. 16, 2:  
Suis et ipsa Roma uiribus ruit;  
captatam habes etymologiam: robur hoc est per se ipsum confectum.

Sic et alii poetae etymologiam captarunt eadem bella ciuilia deplorantes, inter quos est Petronius bell. ciu. 84:

Ipsa suas uires odit Romana iuuentas;

in quibus iuuentutem cum pondere *Romanam* esse praedicat, ut ne quem fugiat quid sibi uelint illae *uires*. Pariterque adeo Vergilius dum gesta fataque Romanorum futura euoluit hanc in exclamationem prorumpit Aen. VI 833:

ne tanta animis adsuescite bella

Neu patriae ualidas in uiscera uertite uires!

Haec nempe Romae erit quasi sui internecio! Antea autem in Aeneide VI 771 Procas, Capys, Numitor, Aeneas Siluius futurae historiae Romanae regia nomina conspiciuntur et ibi quoque clamitatur:

Qui iuuenes! quantas ostentant, adspice, uires!

Ecce umbrae uires ostentantes. Scilicet et hoc tamquam roboris Romani praesagium est.

Huc porro etiam rettulerim Horatiani carminis II 13 v. 17 sententiam, qua metuere dicitur

Miles sagittas et celerem fugam  
Parthi, catenas Parthus et Italum  
Robur,

quamuis in his minus prospera forstasse amphibolia sit <sup>1)</sup>.

Quid uero Claudianus poeta, Graecus indole, sermonis Latini alumnus uaferrimus? Accipe argutiam eius accuratissimam quae in uerbis animosis subsonat laudis Stilichonis I 34:

Demens qui numero tantum, non robore mensus  
Romanos!

Demens sane qui *ζώμη* non metiatur *ζωμαλέους*! Stilichonem deinde adloquens fatetur ibidem III 78 sqq.:

Armis Roma tuis ... amissas uires et regna recepit,  
et mox de Roma:

robore freta Gabino

Te duce Romana tandem se uindicat ira;

itaque duce Stilichone Roma tandem ira se uindicat; in quibus illud quod est *Romana*, quoniam Roma sententiae subiectum est, molestissime superflueret, nisi hoc premere uoluisset poeta, iram, qua Roma irascitur, tandem rursum uere Romanam factam esse

1) Editores non pauci quia *catenae* memorantur *robur* pro carcere accipere assolent; quibuscum feliciter dissentire uideo Kiesslingium; sensus hic esto potius: Parthus perhorrescit Romanorum dominatum (siue catenas) et legiones (siue robur Italum) quibus ille dominatus perficitur.

recepto robore. Alibi alium in lusum rem uertit Claudianus; nam in Olybrii et Proбини panegyrico u. 79 Metum et Impetum cum Roma inducit:

qui semper agentes

Proelia cum gemitu Romam comitantur anhelam

Siue petat Parthos seu cuspide turbet Hydaspen.

Ergo Romam hanc personatam, anhelam et belligerantem cuique semper ad latus haerent Impetus et Metus, Robur bellicum personatum esse non est quod demonstrarem. Si negabis, uersatile hoc ingenium non nouisti.

Quam locorum seriem si recte illuminauimus, rei conuenire dices, quod etiam Ammianus Marcellinus, ubi milites in barbaros impetum faciunt, sic scribendum putauit 31, 7, 11: *Romani* concinentes barritum *uires ualidas erigebant* (aliter uero deinde barbari). Atque subiungere etiam aliorum dicta possem, quae idem ostendunt <sup>1)</sup>, uelut illud quod de Roma aeterna et nunquam senescente perspicue praedicauit Prudentius contra Symm. II 640:

nec enim spoliata prioris

Robore uirtutis senuit,

hoc est enim: *ῥώμη* esse perrexit urbs. Uel quod Seneca philosophus omnes sectas philosophorum origine graecas fuisse neque Romam similem procreasse praeter Sextios memorans, horum Sextiorum strenuam naturam ut subtili Graecorum ingenio luculente opponeret, *Romani roboris sectam* clare uocauit in Quaest. natur. VII 32, 3. Plutarchus sub finem dissertationis *περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης* cap. 13 de ui Romana iam Alexandrum nuntios splendidissimos accepisse narrans: *τῆς δὲ Ἰταλίας ἐπνυθάνετο τὴν ἐν Ῥώμῃ δύναμιν καὶ ἀλλήν ... ὥσπερ ἀθλητῶν μυρίοις ἐγγεγυμνασμένων πολέμοις*. Eodem fortasse tendit quod scripsit Cicero harusp. respons. 19: *nec robore Gallos .., sed pietate ... superauimus*. Lucanus denique Romanae historiae carmen siue carmen Romanum conditurus fuit; ergo uires erant in tali re quibus maxime indigebat. Hoc sibi uult uersus ille in exordio ad Neronem I 66:

Tu satis ad dandas Romana in carmina uires.

Satis raro autem pro robore siue uiribus uirtutis amplior notio applicatur. Quod enim Prudentium de prioris uirtutis robore uerba facere modo audiuius, facilius est. Conferri tamen potest prisca illa *uirtus Romana*, ubi sermo non est nisi de Martiali fortitudine, in cantico Octauiae tragoediae u. 291 sq. Idem sibi uoluerat iam Claudius Quadrigarius uidelicet, exponens de congressione Galli militis et Manlii Torquati: hic nempe *processit neque passus est uirtutem Romanam ab Gallo turpiter spoliari* (Gell. IX 13). Felicissime autem a Propertio V 10, 17 Romulus quasi Romani nominis auctor denotatus est uerbis concisis:

Urbis uirtutisque parens.

1) Locos prorsus dubios qui sequuntur nolui nisi sub uirgula subscribere: Cicero pro Fonteio 26: *equites Romani ... habuerunt .. tantum roboris* et pro Planco 21: *hi tot equites Romani ... quid roboris .. attulerunt?* Item pro Ligario 32 uiros nonnullos *florem Italiae ac robur rei publicae* dixit Cicero aliosque pro Cluentio 153 *robora populi Romani*.

Callide sane; hoc est nempe: Romae parens. Nam *ζώμη* simul et urbem uolet et uirtutem. Concinuit Vergilius apud quem in fine carminis XII 435 Aeneas Ascanio tradit praeceptum illud supremum:

Disce puer uirtutem ex me<sup>1)</sup>.

Scriptitque Strabo p. 234, 23: *Ῥωμαίους προσῆκεν οὐκ ἀπὸ τῶν ἐρμμάτων ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ὄπλων καὶ τῆς οὐκείας ἀρετῆς ἔχειν τὴν ἀσφάλειαν.*

Iam uero calamum sisto. Quae enim hucusque congeSSI testimonia non esse dicentur, sed coniecturae maxime deberi uel explicationibus quibus diffidere possit cautior uel lentior animi. Itaque temperi testimonia uera ac firma subdam et interpretamenta illa Romani roboris quasi corroboraturus, ne cui forte uacillare uideantur neue in anceps trahantur, suum illis fundamentum substruam.

Ex Verrii Flacci copiis Paulus excerptor et haec seruauit: *Romulus et Remus a uirtute, hoc est robore appellati sunt* (p. 267 M.) — hinc est igitur ille Romulus *uirtutis parens* apud Propertium!<sup>2)</sup> — et illud: a Romulo appellatam esse *Romam, non Romulam ut ampliore uocabuli significatu prosperiora patriae suae ominarentur* (p. 263 M). Sed etiam Romae nomen Graecum esse neque genuinum et aliud Latinum quoque urbis nomen extitisse antiquarii Romani consentiunt fere. Unde Macrobius sat. III 9, 2: *Romani . . . ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse uoluerunt.* Ergo si uoluerunt, arcanum id licet fuerit, fuit tamen. Accuratius autem Plinius hist. nat. III 65 haec: *Roma ipsa, cuius nomen alterum dicere arcanis caeremoniarum nefas habetur, optimaque et salutare fide abolitum enuntiauit Valerius Soranus luitque mox poenas.* Ergo adeo sanctum nomen fuerat ut nemini initiatorum qui sciret pronuntiare liceret et inde abolitum esse diceretur; qui uero pronuntiauit, Valerius ille mox diem suum obiret<sup>3)</sup>. Hic autem Soranus Valerius floruisse uidetur inter Gracchorum et Sullae tempora<sup>4)</sup>. Concluditur Romam graecam uocem esse iam illis temporibus consentaneum fuisse, sed etiam multo antea consentaneum fuisse inter superstitiosos facile suspicaberis.

Nec defuerunt qui nomen illud obliuione obrutum etiam eruere posse sibi uiderentur. Ex eodem Verrio Festus p. 266 inter alias multas historiolas fabulorum haec quoque promit Hyperochum ignotum quendam *Κυμαϊκῶν*<sup>5)</sup> auctorem aduocans: *Athenis quondam profectos . . . delatos in Italiam . . . unicarumque uirium imperio montem Palatium, in quo frequentissimi consederint, appellauisse a uiribus regentis Valentiam; quod nomen aduentu Euandri Aeneaeque in Italiam cum magna graece loquentium copia interpretatum dici coeptum Rhom̄* (ita codex Farnes.). Hanc autem doctrinam Hyperochi Graeculi admirabilem et propter ipsam leuitatem grauissimam inter Romanos paullo

1) Item ibidem IX 631 uerbis superbis uirtute illuditur. Idem uoluit Cicero de orat. I 196 Romam dicens unam in omnibus terris domum esse uirtutis, imperii, dignitatis.

2) Ideo fortasse Liuius I 4, 9 de fratribus, eos impetus fecisse postquam robur corporibus animisque sumpserint.

3) cf. Plutarchi quaest. rom. p. 278 F.

4) cf. Teuffelii hist. litt. Rom. cap. 147.

5) cf. Athenaei p. 528 D.

immutatam uenditauit Ateius quidam nisi fallimur philologus<sup>1)</sup> de quo breuiter Seruius ad Aen. I 273: *Ateius* (scribatur *Ateius*) *adserit Romam ante aduentum Euandri diu Valentiam* [uocitatum], *sed post Graeco nomine Romam uocitatum*. Unde ad Solinum quoque res defluxit praefantem haec in cap. 1: *Sunt qui uideri uelint Romae uocabulum ab Euandro primum datum cum oppidum ibi offendisset quod extractum antea Valentiam dixerat iuuentus Latina, seruataque significatione impositi prius nominis Romam* (romén cod. L) *Graece Valentiam nominatam*.

Quod si non solum Romae quasi graeci uocabuli notio ea, de qua disputamus, trita et accepta fuit omnibus, sed etiam *Valentia* pro ipso uerore nomine a nescio quot, doctioribus certe habitum est, iam intellegere mihi uideor, cur etiam colonias suas *Valentiam*, *Pollentiam*, *Potentiam* urbs ualentissima dixerit, cur *Polliae* tribu easdem adscripserit, cur denique ad eandem maxime *Polliam* Caesarum quoque milites relati sint.

Inuestigaturi autem huius nominis interpretationis ubi fere primum uestigium legatur, si retro spectamus ad antiquiores, *Catonis* locum uix nisi per lusum interponere liceat. Qui de re rustica c. 135 praedii possessori quid quo maxime loco emere conueniret descripsit: *Calibus et Minturnis falces ligones emendas esse, palas Venafri, Suessae plostra; aratorum autem duo genera distinguens, Romanicum et Campanicum, hunc in modum de eis praecepit: aratra in terram ualidam Romanica bona erunt, in terram pullam Campanica*. Adeo etiam inter aratra ualentiora quae praebuit Roma! — Ceterum *Ennius* pater praesto est<sup>2)</sup>. Cuius quidem de legionariis Romanis non malum praeconium legitur u. 339 M.: *uiru ualidis cum uiribus luctant*. Nam has *uires ualidas* legionariorum in proelio uidimus etiam apud *Marcellinum*. Idem *Ennius* in *Annalium* primo u. 80 M. de *Romulo* et *Remo* fratribus haec exhibuisse uidetur:

Certabant urbem Romam Remoramne uocarent.

In quibus *Remora* illud<sup>3)</sup> accipi nisi in malam partem non potest, portendissetque nomen tale felicitatis »moram« siue infortunium. Quod si ita est, sollerter *Ennius* uerba seruit, si *Romam* e contrario nomen felix et faustum esse putabat bonumque omen malo omni opposuit. Esto igitur iam hoc loco Roma posita pro robore.

Quid uero? Graeculos eiusdem aevi ne neglegamus neque inexplicitus iaceat *Lycophro* clarae obscuritatis homo et *Alexandra* eius *Alexandrina*. Notissimus est ac propter difficultates celebratus *Cassandrae* ille de Roma Troiugena uaticinantis excursus u. 1226 – 1270; quos uersus interpolatori subnatos esse putabant multi; si sunt, sane quam uetusta interpolatio<sup>4)</sup>. Et sentio quidem in opere adeo singulari cuiusque imitatores

1) cf. Peter histor. Rom. fragm. p. 237.

2) Nam non satis planus locus est apud *Cornificium* ad *Herennium* IV 13, ubi de *Fregellanis* contra Romanos rebellantibus in oratione dictum est: *quid omnibus rebus populus Romanus posset, scire et existumare poterant*.

3) Satis firmata haec apud *Ciceronem* de diuin. I 43, 107 lectio exhibetur, neque nimis uariant manuscripti: *or enim erasum* in cod. Leid. 86; *remoram neque* Heinsii codex.

4) Non multum post annum 309 scriptam esse *Alexandram* commendauit de *Wilamowitz-Möllendorf* in hiberno lectionum indice *Gryfswaldensi* a. 1833 ad 1884. Quem secutus spurios uersus esse quos dixi denuo demonstrare suscepit *Cauer* Mus. Rhen. XLI p. 388 sqq.

nulli extiterunt de interpolatione suspicari uix licere, sed tempus, cui carmen debeatur, ex hoc ipso capite, quo de Roma agitur, in primis definiendum esse. Tamen litem alienam iudicare nolo. Mea in causa sufficiet, id quod facile dabitur, iam ante Punica bella Alexandram uatem gloriam Romanorum suam gloriam dicere potuisse (*γένους πάππων τῶν ἐμῶν κλέος*), potuisse adeo ei uideri Romanos *γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν λαβόντας*; nam poetarum semper fuit exaggeratio <sup>1)</sup>.

De Romulo autem et Remo haec ibi uerba inserta leguntur:

*τοιούδ' ἐμός τις σύγγονος λείψει διπλοῦς  
σχύμους λέοντας ἔξοχον ῥώμῃ γένος.*

Quae iam non est quod pluribus explicem; *σύγγονος* scilicet hic Aeneas fuit; fratres autem illi cum genus robor e praecellens nuncupantur, aperte tamen uates ludit in uoce ancipiti et Roma ipsa subaudienda est; neque aliter accepit paraphrasta interpretans *τὸν Ῥῶμον καὶ Ῥωμόλον ἔξοχον γένος ἐν τῇ Ῥώμῃ* <sup>2)</sup>.

Denique Romam urbem esse eponymon iam Pyrrhi fere aetati placuit.

Non male, inquis; Melinno tamen, quaeso, cur reliquisti? atque ubi demoratur dulcissima testium? nonne Melinno uel Cassandra illa uetustior? certe poetria Lesbica audit. Non equidem repugno, faueo enim puellis etiamsi carmina scribunt, adponamque illius carmen dispositum per Sapphicas strophas, quod apud Stobaeum in floril. VII 13 inter uaria moralia tragicorum Mimnermi Homeri satis inexpectatum conspicitur:

*Μελινοῦς Λεσβίας εἰς Ῥώμην.*

*Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρης  
χρυσεομίτρα δαΐφρων ἄνασσα,  
σεμνὸν ἅ ναιίεις ἐπὶ γᾶς ὄλυμπον  
αἰὲν ἄθροανστον.*

5 *σοὶ μόνα πρέσβιστα δέδωκε Μοῖρα  
κῦδος ἀρρήκτω βᾶσιλῆον ἀρχᾶς,  
ὄφρα κοιρανῆον ἔχοισα κάροτος  
ἀγεμονεύης.*

*σῆ δ' ὑπὸ σδρεύλα κρατερῶν λεπάδρων*

10 *σιέρινα γαίης καὶ πολιῆς θαλάσσης  
σφίγγεται· σὺ δ' ἀσφαλῆως κυβερνᾷς  
ἄστια λαῶν.*

1) Idem concedere Lycophroni ante Pyrrhum devictum haesito sane. Wilamowitzius pro argumento alia incertiora posuit, gravius hoc unum, quod Heracles, filius Alexandri, mortuus a Lycophrone deploratur u. 801 sq.; id enim accidere non potuisse nisi paullo post mortem Heraclis. Poterat tamen etiam postea. Totum scilicet sibi orbem terrarum subiecerat Alexander, heredem tantae hereditatis habuit nullum; nam hic quoque unicus superstes filius necatus est; hanc fati crudelitatem prorsus singularem cur non flere licuerit Alexandrino in laudibus Alexandri uel pleno saeculo praeterlapso non satis assequor. Drusus mortuus est anno 9 a. Chr. n.; epicedion Drusi scriptum est demum post annum 44; tamen hic non unicus superfuerat filius Augusti.

2) cf. etiam Bachmannus ed. Lycophr. p. 252.

πάντα δὲ σφάλλον ὁ μέγιστος Αἰὼν  
καὶ μεταπλάσσω βίον ἄλλοτ' ἄλλως  
15 σοὶ μόνῃ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς  
οὐ μεταβάλλει.  
ἦ γὰρ ἐκ πάντων σὺ μόνῃ κρατίστους  
ἄνδρας αἰχματᾶς μεγάλους λοχεύεις,  
εὖσταχυν Δάματρος ὅπως ἀνεῖσα  
20 καρπὸν ἀπ' ἀνδρῶν.

Fraus est in titulo; quid enim Lesbia mulier cum dorico carmine? Immo quia Sapphici uersus sunt, dati sunt Lesbiae. Et Stobaeus quidem siue is, cui sua debet, non de Roma, sed de ui carmen accepit, inserens capiti quod est *περὶ ἀνδρείας*, in quo sub n. 16 etiam definitio *ῥώμῃ* notionis adscripta est. Urbem ipsam uero poetria cogitauerat, atque cum totius lyricae artis Graecorum praeter Pindarum uix unum uel alterum carmen laciniae instar diem tulerit, hic spurius uel saltem postumus foetus — ne irascaris, Melinno! — quod integer seruatus est, non debetur uidelicet nisi Romae illi cuius laudes continet. Iam uero in eo Roma audit filia Martis et *χρυσεομίτρα* et *δαΐφρων ἀνασσα*; terra mari-que sicut apud Lycophronem gubernat (u. 16) cum *ἄστεα λαῶν* sibi subdiderit (u. 18). Robur autem proprium eius adest in uerbis *κοιρανῆρον ἔχουσα κάρτος* (13) et *σὺ μόνῃ κρατίστους ἄνδρας ... λοχεύεις*; ideo iugum eius strenuum est, u. 15. Sic autem procedit sermo, ut postquam per tres strophas quam magnum et firmum Romae imperium sit uariis coloribus delineatum est, quarta doceat ne mutabile quidem esse, sed semper duraturum, quinta autem causam potentiae addat, fortitudinem militum Romanorum. Et cantilena haec indole prorsus singularis est, populi nempe laudationem praebens non heroicam, sed lyrici generis inferioris, argumentumque ipsum fortasse muliebri ingenio parum conueniens. Quod carmen si quis curat quo saeculo potissimum nasci potuerit, me si audis, ante Augusti aetatem scriptum uix sustinebis. <sup>1)</sup>

1) Non mutabile imperium esse, sed semper duraturum etiam apud Vergilium promittitur Aen. I 279: *Imperium sine fine dedi*. Tamquam per ipsum Olympum Romam regnare quod legimus u. 3, idem dicit Vergilius VI 782: *illa inclusa Roma imperium terris, animos aequabit Olympo*. Magis etiam comparari uolo Dionysium Hal. II 3, 8, ubi haec de se Romulus: *ταύτας τὰς τιμὰς ... οἷτε δὲ πάντα μαραινῶν τὰ κατὰ χρόνος ἀφαιρήσεται με ... ἀλλὰ καὶ ζῶντι καὶ τὸν βίον ἐκλεπόντι τούτων ἐπιάρξει μοι τῶν τιμῶν παρὰ πάντα τὸν λοιπὸν αἰῶνα τυγχάνειν*; ecce hic quoque *Αἰὼν* quem habet Melinno u. 13; hic quoque omnia terere dicitur *χρόνος* uelut apud Melinno ibidem; quodque haec posuit οὐ μεταβάλλει, respondet apud historicum οὐκ ἀφαιρήσεται. — Simul tamen ad formam carminis animaduertamus. Et quod Sapphici quidem strophis laus populi alicuius canitur, tale quid non accidisse crediderim ante Horatium cuius quae similia sunt ipse scis. Sin autem caesuras respicis, inter quindecim hendecasyllabos deciens incisum est post quintam syllabam; ita rem Sappho non egerat, egit Horatius demum in carmine saeculari et in libro quarto (cum idem in libris I—III etiam nimius fuisset hac in cura). Porro id cum industria obseruauit Melinno, ut in stropharum fine unius cuiusque etiam sensus et grammatica structura ponderose finiretur; haec quoque nimis sobria lex a Sapphone aliena fuit, displicuitque Catullo in duobus Sapphiciis, Horatio coepit placere, ita tamen ut haud raro secus scriberet uelut *Neue te nostris uitis iniquum Ocior aura Tollat*, similia; regnat lex et apud Melinno et apud Statium silu. IV 7 (neque aliter Statius in Alcaicis IV 5). Quid? quod Sappho nonnunquam binos uersus ita ligabat, ut unum uocabulum et priorem uersum terminaret et posteriorem inciperet, uelut *φωινεί — σας ἵπτακοίει* et



Pauca habeo quae addam. Et primum ad deos Romae tutelares cum minore fructu respexeris. Mitto Iouem uictorem, Iunonem uictricem, Martem, Herculem, Lunam, Angeronam, Opem consuiam, mitto et Romam ipsam et Genium Romae: quamquam Iuppiter et Iuno quam apti ad tutelam uideri debuerint, facile sentis; etenim Iouem a iuuando appellatum credebant (ita iam Ennius in Epicharmo: *quoniam mortales et urbes beluasque omnes iuuat*) neque dubito, quin etiam Iuno (*Curitis, Populona*) pro *Iuwinone* ab antiquis accipi solita sit. Semper certe in etymologiis obseruandis cura superstitiosa defixa fuit. Sepono porro etiam Virtutem deam cuius non plus ualuisse religionem iure Plutarchus miratus est in libro *περὶ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς*; memorabile tamen est quod narrat Losimus V 41 cadente imperio in bellis Gothicis magnum metum quasi ex malo omine inde ortum esse quod effigies Virtutis Roma absumpta est; grauius etiam hoc quod in traegodiis iam Plauti fere temporibus usu uenit, ut prologus a diis tutelaribus haberetur, in quo commemorabant dii quae bona reipublicae Romanae fecissent; fuerunt autem tales prologizontes Neptunus et Victoria et Mars et Bellona et Virtus ipsa (Plauti Amphitr. 42), quod non nisi de Naeuii et Ennii traegodiis accipi potest, maxime praetextatis <sup>1)</sup>. Assumpserunt autem Romani etiam Apollinem tamquam bellicae fortunae patronum contra Hannibalem; quin etiam Augustus pro summo fere deorum Apollinem habuit Actiacae pugnae uictorem celebrans. Sentio autem etiam in huius nomine sonum inesse siue pollendi siue magis depellendi. Neque solus sensi; simile quid in nomine Romanos inuenisse testes sunt cum uerba Marci uatis (Liu. XXV 12, 9): *hostis, Romani, si expellere uultis ... Apollini uouendos censeo ludos* (cf. *Apello* eiusdem dei nomen in glossis), tum uersus priscus Saturnius quem Naeuius posuit in bello Poinico (Macrobii sat. VI 5, 8):

Deinde pollens sagittis inclutus arquitepens  
Sanctus Ioue prognatus Putius Apollo <sup>2)</sup>.

Unde ad Castoras producimur. Scitur in asseuerationibus Romanos et Herculem inuocasse (*mehercules, hercle*; fuit autem apud hunc quoque cura bellorum) et exclamasse *edepol, pol, ecastor*; neque minus notum est eam fuisse in comoediis differentiam, ut *ecastor* solis mulieribus liceret uocare, *pol* siue *edepol* et uiris et mulieribus (Gellii XI 6. Macrobii I 12, 28. Tertull. ad nat. 2), idque recte inde explicatum uideo quod Castoris nomine castitatem indicatam putarint (Prelleri mythol. II<sup>2</sup> 29,3). Iam uero, nisi me fallit memoria, numquam sane in proeliis a milite aut *pol* aut *ecastor* exclamari audimus; nec id mirum; neque enim uoces istae in litteris in usu fuerunt praeter comicorum et Horatii

*πίνα δυνεῖντες πτέρ' ἀπ' ὀράνω αἶθε —  
ρος διὰ μέσσω,*

cf. eius fr. I 11. II 3. 11. 13. 19. Idem facile sibi concessit Catullus (XI 11; 19; 22), minus facile Horatius (cuius octo fere exempla sunt uelut illud *u-xorius amnis*). Ignorat autem hanc quoque licentiam cum Statio Melinno. Ergo inter Horatii et Statii fere tempora eam scripsisse coniecero. Quod etiam sermone eius commendari credo, qui elegantiam rhetoricam sapit doctorum poetarum, certe a Sapphici aevi simplicitate diuersissimam; uide modo repetitionem illam *σοὶ μόνα* u. 5, *σοὶ μόνα* u. 15, *σὲ μόνα* u. 17.

1) cf. Ladewig in annal. phil. 1869 p. 473 sq.

2) In quibus *Ioue* pro *Delphis* restituit Buechelerus; pro *Deinde* Merula *Dein*, possis *Deus* uel *Dedit*.

sermone humiles et cottidianos <sup>1)</sup> et in quibus Mars locum non habet; abstinent Vergilius quorumque heroicus sermo est. Constat tamen Pollucem et Castorem primitus patronos fuisse rei militaris; quorum decantatum auxilium est ad lacum Regillum similiterque etiam pugnis Romanorum apud Pydnam et Veronam annorum 168 et 101 interfuisse credebantur, in eorumque honorem splendidissima equitum Romanorum transuectio sollemniter in urbe habita est <sup>2)</sup>. Ergo aut fallor aut antiquissimo tempore *edepol* (*ecastor*) milites fuerunt qui clamare solerent; idque postea demum in illum usum sermonis abiit quem ostendit comoedia. Quam coniecturam fortasse Ennius comoediae aequalis tutatur, cuius ex Annalium libro primo uerba Romuli in pugna uersantis proponere iuuat (u. 100 M.):

Non pol homo quisquam faciet impune animatus

Hoc, neque tu. Nam mi calido dabis sanguine poenas.

Hic certe Pollux in proelio atque adeo ab ipso iam Romulo minitante inuocatur. Quae cum ita sint, non recte docuisse uidetur Varro, antiquissimis temporibus uiris neque per Castorem neque per Pollucem iurare licuisse (Gell. XI 6). Contra si eo processeris ut aias equites olim in bello Pollucem uocantes pollentiam cogitasse et Castorem fortasse eis uisum esse quasi castrensem, non contra dicam equidem.

Superest, de quo uehementius etiam dubitaueris, *Quirinus* nomen et eius cognati *Quirites*. Qua de materia antiquarias notitias ne colligam uel loci angustiae uentent. Sensus tantummodo uocis duce arte grammatica indagare conemur. Et quod ex *curi* siue ex *Curibus* nomen deduxerunt, hoc iam recte repudiatum esse uideo <sup>3)</sup>. Id uero unus quisque concedet, *Quirinum* et *Quirites* simul ex una eademque stirpe creuisse, ergo ex una repetenda esse grammatico. Potest igitur *Quirinus* non nisi terna ratione deriuari aut ex *\*quis*, *\*quiris* (ita *marinus* ex *mari*, *salinum* ex *sale*) aut ex *\*quirus*, *quiri* siue *\*quira*, *quira* (sic *coquinus* ex *coquo*, *tabulinum* ex *tabula*) aut denique ex nomine *\*Quirium Quirii* (ita *Latinus* ex *Latio*, *Gabinus* ex *Gabiis*, *Pomptinus* ex *Pomptio*). Atque hoc postremum quod est *Quirium* iam ipsa analogia maxime commendari uides. Accedunt *Quirites*; et quidem dum huius *Quiris*, *Quiritis* similitudinem circumspecio prorsus nullam inuenio praeter illud quod est *Samnis Samnitis*; atqui Samnites *Samnio* debentur; ergo *Quirites* non deberi queunt nisi *Quirio* <sup>4)</sup>. Ita mirum in modum utraque uia ex-

1) Frequentissima talia in minaciis, uide exempla in Mus. Rhen. XL p. 553.

2) cf. Prelleri myth. II<sup>3</sup> p. 303.

3) Vide Iordanum apud Prelleri mythol. Rom. I 369. Et primum *curis* (pro hasta positum) longam V habet; ex *cū* uero syllaba nunquam ullo exemplo syllaba *qui*, cuius breuis est iota, nata est. Facilius *cūris* ex *quūris* natum dixeris; tamen ne hoc quidem satis tuto. Porro *Cures* oppidi nomen breuem V ostendit apud Vergilium Aen. VI 811, Propertium V 9, 74; sed ne hoc quidem accidisse uideo in lingua Latina ut breue *cu* in breue *qui* transformaretur. Facilius, et hoc quidem satis tuto, contenderis *Cures* ex *Quires* esse transformatum, item *Iuno Curitis* ex *Iuno Quiritis*; falso contrarium statuebat Corssen, Ausspr. et Vocal. II 358.

4) Supra concessi accidere potuisse ut *Cūres* pro *Quires* pronuntiaretur; tamen ex tali *\*Quis* *\*Quiris* deriuari non possent nisi *Quirites* media syllaba ita breui sicut in *pedites* a *pede* ducto, *equites* ab *equo*, *Caerites* a *Caere* (siue *Caerētes*, nunquam uero *Caerites*).

plicationis in eandem conclusionem decurrit. Quae uox Quirium nisi olim re uera extitit, et Quirinum et Quirites explicatum suum habere nego <sup>1)</sup>).

Nescio num aures arreixeris. Hic enim in mentem incidere possit fuisse aliquod Romae nomen uere Latinum, arcanum tamen et quod quia nemo enuntiauit abolitum est. Quod nomen *Valentiam* non fuisse etiam caecutienti elucescet. Neque nisi propter raritatem memoro aetate inferiore etiam *Anthusa* uel *Flora* urbem audiisse idque tum dictum esse eius *ἄνομα ἱερωνικόν* <sup>2)</sup>). Quid uero taceam quod iucunda mihi porrexit hora? fuit enim ubi id nomen arcanum diuinarem fuisse Quirium. Somnia fugerunt; num ueracia fuerint alii uideant; uigil sum, inter uigilias autem euolui Niebuhrium atque haud exiguum me gaudium cepit legentem iam a clarissimo hoc homine id ipsum Quirium pro prisco Romae nomine esse uenditatum <sup>3)</sup>). Nuper idem Maduigijs docuit <sup>4)</sup>), hac adhibita distinctione, ut Quirites (Quirii incolae) a semet ipsis, Romanos ab alienigenis ac peregrinis dictos ciues putaret. Attamen mihi equidem hoc loco Quirium esse potuisse aliquod qualecumque uetustum urbis nomen sufficit.

Quaeritur quidnam in *Quirio* terminatio sit, quid stirps, quae denique notio. Atque formam nominis urbi conuenire demonstrant Antium, Attidium, Caudium, Marrubium, Spoletium, Rufrium, Sutrium, Lorium, Crustumerium similia. R autem litteram quae medium tenet quid ualebat quoue trahenda est? <sup>5)</sup> *Valerius* comparetur mihi dictus pro *Valesio*, *Lucerius* dictus pro *Leucesio*; uelis nolis, ad antiquius *Quisium* protraheris dissecabisque stirpem a terminatione ita, ut *Vale-sius* sit qui ualet, *Leuce-sius* qui lucet, *Qui-sium* denique id fere quod quit uel uim habet <sup>6)</sup>).

1) Paucis uerbis etiam Langii reprobanda erit sententia quam ille in *Antiquit. Romanis* I<sup>o</sup> p. 19 sq. 271. 275 ueram esse optauit potius quam comprobauit, Quirites a *curia* esse dictos Quirinumque curiae esse patronum. Cui adstipulatus est Gilbertus in historia topographica urbis Romae I . 91 sq. 136 sq., quamquam bellicam in Quirino notionem primariam fuisse ipse demonstrat. Contra est ratio grammatica et natura uocalium. Primum enim ex *Cūrinus* oriri *Quīrinus* nullo pacto poterat; sin autem *Cūrinus* correpte dictum esse statuas (sic ut *pūsillus*, *mānilla*), ne ita quidem leges *Quīrinum* concedunt. Restaret sumere antiquiorem olim pro *curia* extitisse formam *quiria*. Tamen ne hoc quidem accidisse credo. *Cūria* enim a coeundo dicta est ita ut pro *\*coisia coisia* uel *coiria*, deinde *coeria* diceretur, denique *curia* ita fieret uelut murus ex moero (cf. *de participiis latinis* p. 11 in adnot.). Ex eo autem quod est *quo-isia*, *quoiria* profectus iterum non deuenies nisi ad *quoeria* uel ad ipsum *quāria*, *cūria* ea uia, quam indicaui, qua ex *moero murus* dictus est, haud facile uero aut *quiria* nancisceris aut *quīria*, nisi prouocaueris ad rarissima quale est *libertas* dicta pro *loebertate*. Ceterum in compositis nunquam fere *quo(m)*, semper *co(m)* praefixum comparere nemo nescit scalpsitque *cosmis* in uasculo iam Duenos antiquissimus, ita ut uel hac lege ab illo quod posui *quo-isia* proficisci uetemur. — Et habuerit licet locum in curiis Iuno Quiritis; tamen haec dea, si Iunonis pollentis potentis sensu accipiebatur, cur minus ad curias Romanorum apta fuit?

2) Ita Lydus de mens. p. 85 B. (cf. I. Bernays in *Hermae* XI p. 132); refert idem nomen etiam geographus quarti fere saeculi Iulius Honorius, quod tribui solitum sit Constantinopoli (cf. *Riesius* in *Hermae* XII p. 143).

3) Niebuhrius in *hist. Romana* I<sup>o</sup> p. 304.

4) *Verfassung und Verwaltung des Röm. Staates* I p. 14: »die Ableitung von Cures ist gegen die Analogie, welche auf Quirium führt«.

5) Sonum similem praebent *suspīrium* (a spirando), *delīrium* (a lira), *equīria* (ab equo), nisi quod in his iota longa est, in *Quirio* breuis; qua de causa conclusio non datur.

6) Conferantur his de formationibus quae docui *de participiis latinis* eqs. (Marpurgi 1883) p. 8 et 11 sq.

Quod de uocula nimis obscurata ueriloquium habeo quo etiam magis tutari possim. Nam sicut frigidus *alsus* dicitur, ita oppidum quoque fuit ab algendo nominatum *Alsium*; itaque *Qui-sium* ita compositum esto ut *Alg-sium*. Accedit *Clusium*; quod nomen nescio quo magis pertineat quam ad claudendum; si pertinet, etiam hoc pro *Clud-sium* accipi oportebit. Neque tertio loco *tugurium* praeternittam; hoc enim id est quod tegit; itaque praeterquam quod hic uocalis V auxiliaris intercessit, *tugurium* ad *\*teg* eam relationem habet quam *Quirium* ad *\*qui*<sup>1)</sup>. Denique a lucendo uocitatum oppidum consimile contendas *Luceriam*, nisi quod haec genus ostendit femininum.

Quod si scrutamur ipsum hoc simplicissimum *qui* uix tandem a nobis enucleatum, quid significare uel potuerit uel debuerit, testes Romani de *Quirino* et *Quiritibus* non prorsus sane inter se concordant. Fuerunt enim inter doctos antiquarios quamuis pauci qui Quirinum Marti siue Romulo ita opponerent, ut pacis patronus esset. Ita semel legitur apud Seruium ad Aen. I 292 Quirinum quasi esse Martem tranquillum eamque opinionem Claudianus secutus est de IV consulatu Honorii u. 8<sup>2)</sup>; orta autem ea est me iudice ex hac obseruatione; solebant enim inde a Iulii Caesaris aetate ciues a bello remoti a militibus Romanis ita secerni, ut illi Quirites appellarentur, hi minus<sup>3)</sup>. Nobis autem suspicionem excitare haec obseruatio possit et Quirinum et Quirites quasi »quietos« esse ita ut stirps *qui* de qua agitur ea sit quam praebet *quies*<sup>4)</sup>.

Sed enim uix cuiquam tali explicatione satisfactum erit. Audi modo illud austerum *populus Romanus Quirites!* Et semper quidem fere et ubique Quirinus pro potentiae Romanae militaris auctore et propagatore habitus est<sup>5)</sup>; idque quam maxime genuinum esse diserte arguit uetustissima precatio in qua Luam Saturni, Salaciam Neptuni, uirites Quirini inuocari audimus (Gell. XIII 23). Illam autem consuetudinem loquendi, qua militibus Quirites contrarios esse existimatum est, posterioribus demum Romanis succreuisse conieceris.

Neque uideo cur desperemus. Nam optio datur atque facilius certe credemus *Quirium* si quid fuit omnino fuisse Potentiam siue »Queentiam«, (nam etiam hoc uerbum

1) Etiam ad *Φαλέριον* (uel *Falerios*) comparandum inuitamur; nisi quod incertius etymon. Magis etiam propinguum *Aleria* si hoc ab alendo ductum uolumus.

2) Haec ibi tradita sunt de legione dicta:

positisque parumper

Bellorum signis sequitur uexilla Quirini,

quod quia nemo intellexit *Quiritum* inculcarunt. Nos difficiliora explicare quam mutare maluimus.

3) Caesaris milites qui seditionem faciunt ita dimittit imperator ut eos Quirites pro militibus appellet (Suetonii c. 70); hoc postea imitatus est Alexander Seuerus, cuius uerba sunt (fortasse ex Suetonii memoria composita): *continete igitur uocem truculentam ... ne uos hodie ... una uoce Quirites dimittam, et incertum an Quirites* (Lampridius c. 53, 10; cf. 52, 3). Ceterum Caesaris exemplum se imitari nolle ad legiones dixit Germanicus (Tacitus ann. I 42).

4) Ita scilicet fere Quirium ad quietem pertineret ut Rabirius ad rabiem.

5) cf. Prellerus l. I. Varro apud Dionys. Hal. antiqu. II 48 de Marte et Quirino: *οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἐνός οὐδόνται θεοῦ πολεμικῶν ἀγόνων ἡγεμόνος ἐκείτερον τῶν δνομάτων κατηγορεῖσθαι, οἱ δὲ δνοῖν τὰττεοθαι δαιμόνων πολεμιστῶν τὰ δνόματα*. Ad Quirinalem uicus fuit Mamurii illius, qui Martis ancilia fabricauit (Iordani topogr. II 125 sq.). Inde *arma Quirini* leguntur apud Festum p. 217. Belli patronus Quirinus in prisca formula inducitur apud Liuium VIII 9.

periclitati sunt, cf. Quintilianus II 14, 2), ab eo etymo sumptum, unde sumpta sunt *queo, quis, quit*<sup>1)</sup> — et ita Narnia Umbriae oppidum *Nequinum* dictum esse traditur<sup>2)</sup> —; Quirinus uero huius Queentiae ita archegetes fuit uelut Latii Latinus; Quirites denique ciues eius ita fuerunt uelut Samnites ciues Samnii.

Atque iam subsistere quasi cacumen tenentibus atque uiam arduam oculis relegere dabitur quam emensi sumus. Ex plano enim quasi ad nubes, ex militibus Caesarum illis qui Polliae tribu adscripti sunt, ad Quirium fabulose antiquum passibus magis magisque haerentibus adscendimus. Atque robur illud Romanum, quod uariis obseruationibus collustratum est, tantum in re publica ualuisse cognouimus, ut quasi a »Queentia« siue a »Quirio« olim urbs Quiritium inciperet, ut deinde nescio quo tempore in »Romam« aeternam transiret quae quin *ῥώμη* esset siue Valentia uix quisquam antiquorum dubitauit, ut deinceps et Potentia et Pollentia et Valentia nomina in militaribus rebus gratissima semper manerent, ut inter tribus quoque legionibus praeplaceret »Pollia«, ut denique ultima gloria Romani nominis effulgeret in bello »Pollentino«.

Quae cum ita sint, restat ut ualere te iubeam, Roma, postquam ualuisse te satis docui.

---

1) Iota longa est in *quis, quimus, quitur, nequinunt, nequibunt*; non minus longa autem in *imus, ibunt, itur*; porro *queo* pro *queio* ita pronuntiatum uidetur uelut *eo* pro *eio*. Tamen hanc longam iota utrobique ex productione breuioris explicabimus fuitque stirps *quī* ita breuis ut *i* quod in *aditus* seruatum est. — Ceterum *quiritare* uerbum non perspicio quomodo ad *Quirites* attinuerit referoque ad querendi uerbum siue querelas.

2) Oppidum fuit fortissime munitum in loco arduo et nomen suum Nequinum inde accepisse uidebitur, quod capi non poterat. Ita certe Lilius X 9: *nec ui nec munimento capi poterat* adeo, ut non nisi per prodicionem et per fraudem nocturnam intrarent Romani. Mox coloniam eo miserunt Romani, omen in nomine deleuerunt, Narniam pro Nequino uocarunt.



# I. LECTIONES THEOLOGORUM.

## 1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

ERNESTUS RANKE, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice a) exercitationes* seminarii theologici *exegeticas ad Novum Testamentum spectantes* moderabitur die Iovis h. vi vespertina, *b) societati patristicae Augustini confessiones* legendas proponet die Saturni h. xii; 2) *privatim a) biblicam Novi Testamenti theologiam* exponet quaternis scholis h. ix, *b) messiana Veteris Test. vaticinia* interpretabitur binis scholis h. ix.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatissime et gratis* in societate exegetica *notiones biblico-theologicas* tractabit die Iovis h. vi; 2) *publice capita selecta ex historia artis christianae* proponet die Saturni h. ix; 3) *privatim a) introductionis in libros Novi Testamenti partem specialem* tradet quater per hebdom. h. viii, *b) evangelium secundum Ioannem* interpretabitur quaternis scholis h. ix.

C. G. ADOLPHUS HARNACK, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., ordinis theologorum h. t. decanus, 1) *publice exercitationes historicas* seminarii theologici moderabitur die Ven. h. vi—viii (*de decretis et canonibus conciliorum quae saec. IV et V habita sunt*); 2) *privatim a) historiam dogmatum Christianorum* cottidie h. xi enarrabit, *b) historiam ecclesiae mediæ aevi (historiae ecclesiae partem secundam)* tradet quater per hebdom. h. xii.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, 1) *publice* in seminario theologico *exercitationes systematicas* moderabitur die Lunae h. vi—viii; 2) *privatim a) theologiae dogmaticae partem priorem* tradet quinquies per hebdom. h. viii, *b) de sectis et ecclesiis, quae in Germania habentur,* diebus Martis et Mercurii h. vi.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSION, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *publice* in seminario theologico *exercitationes ad Vetus Test. pertinentes* moderabitur die Martis h. vi—viii; 2) *privatim a) vaticinia Iesae* interpretabitur quater per hebdom. h. x, *b) biblicae Veteris Testamenti theologiae partem priorem* docebit diebus Merc. et Sat. h. x.

ERNESTUS CHRISTIANUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *homileticas* die Mercurii h. iii—v, *catecheticas* die Veneris h. iii—v moderabitur; 2) *privatim a) theologiae practicae partem II* cottidie h. xii, *b) artem paedagogicam* docebit diebus Lunae Martis Iovis h. iv.

## 2. PRIVATIM DOCENTIS.

ADOLPHUS LINK, theol. Lic., seminarii Philippini repetens, *privatim epistolam ad Hebraeos datam* explicabit quater per hebdom., die Lunae, Martis, Iovis h. iv, quarta hora incerta.

## II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

### 1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, ordinis iurecons. h. t. decanus, 1) *publice de selectis e iure obligationum speciali materiis* die Merc. h. xii disseret; 2) *privatim pandectarum partem priorem (doctrinam generalem, iura in re, ius obligationum continentem)* Derenburgio duce docebit quater per hebd. h. xi—i, d. Merc. h. xi; 3) *privatissime in seminario iuridico examinatorium de pandectarum parte posteriore (ius obligationum, familiae, hereditatis continente)* Dernburgio duce instituet dieb. Lunae et Iovis h. vi—viii.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice locos pandectarum impeditiores* explicabit die Lunae h. iv; 2) *privatim pandectarum partem priorem (doctrinam generalem, iura in re, ius obligationum continentem)* tradet quinquies per hebd. h. vi et vii.

IUSTUS BERNARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice constitutionem imperii germanici* in seminario iuridico semel p. hebd. interpretabitur; 2) *privatim* docebit a) *ius publicum germanicum et horssiacum* quinquies h. v, b) *ius germanicum et horssiacum ad administrationem publicam spectans* ter h. iv.

FRANCISCUS EDUARDUS DE LISZT, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, academiae h. t. rector, ordinis Russici Stanislai secundae classis eques, 1) *privatim a) ius criminale imperii Germanici* tradet h. viii diebus Mart. Merc. Iov. Ven., b) *processum criminalem* docebit h. ix diebus Mart. Merc. Iov. Ven.; 2) *exercitationes de processu civili practicas* in seminario iuridico instituet die Ven. h. vi—viii; 3) *privatissime et gratis quaestionum criminalium tractationem* moderabitur; 4) *publice de concursu creditorum* disseret die Merc. h. iv.

RUDOLPHUS LEONHARD, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice artem interpretandi tirones* docebit die Merc. h. x; 2) *privatim a) historiam iuris Romani* tradet diebus Lunae Martis Iovis Veneris h. v, b) *institutiones iuris Romani* docebit iisdem diebus h. xi, c) *de processu civili imperii Germanici* profitebitur iisdem diebus h. iv; 3) *pandectarum fragmenta* interpretabitur sententiarum scribendarum *exercitationes* adiungens die Merc. h. vi—viii in seminario iuridico.

GUILELMUS SICKEL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice de iure auctoris* disseret die Mercurii h. x; 2) *privatim* docebit a) *ius Germanicum privatum* quinquies h. xi, b) *historiam iuris Germanici* quater h. x.

### 2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

VICTOR PLATNER, I. U. Dr. et P. P. E., docebit, 1) *publice practicum et examinatorium de iure comerciali et cambiali* habebit die Mercurii h. iv; 2) *privatim a) ius comerciali et cambiale* tradet quinquies h. x, b) *ius germanicum privatum* quinquies h. ix.

ADOLPHUS FRANTZ, I. U. Dr. et P. P. E., 1) *publice ius matrimonii* tractabit die Mercurii h. v; 2) *privatim a) ius ecclesiasticum* docebit quater per hebd. h. x, b) *ius gentium* leget bis per hebd. h. xi, c) *principia iuris ecclesiastici theologiae studiosis* exponet bis per hebd.



### 3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, *privatim practicum quod dicitur pandectarum* die Sat. h. IV—VI instituet.

BERNARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marburgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, quid praelecturus esset non indicavit.

## III. LECTIONES MEDICORUM.

### 1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

HERMANNUS NASSE, med. et phil. Dr., physiologiae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis coronae Boruss. II. cl. et aquilae rubrae II. cl. eques, 1) *publice* offert *repetitorium et examinatorium de sensuum physiologia* h. III die Saturni; 2) *privatim physiologiam generalem* hora commoda binis scholis docebit.

GUILELMUS ROSER, med. Dr. et chirurgiae P. P. O., instituti clin. chir. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, cruce ferrea decoratus, ordinis aquilae rubrae Boruss. III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice examinatorium de chirurgia* offert; 2) *privatim de operationibus* ter h. VIII disseret; 3) *privatissime clinicen chirurgicam* dirigit h. IX.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus superior primi ordinis, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, ord. medicorum h. t. decanus, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis* offert semel p. hebd. habendum; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater p. hebd. h. VI—VII et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen et policlinicen medicam* ab h. X et dimid. ad XII moderabitur.

HERMANNUS SCHMIDT-RIMPLER, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, ordinis coronae IV. cl. cum gladiis eques, 1) *publice examinatorium de rebus ophthalmologicis* offert semel p. hebd. habendum; 2) *privatissime a) clinicen ophthalmiatricam* moderabitur dd. Martis et Iovis h. XII—I, die Saturni h. X et dimid.—XII, *operationes* horis posthac definiendis, *b) cursum ophthalmoscopiae et operationum ophthalm.* instituet ter h. XII.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, ordin. Saxon. Ernest. et leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice studia practica in psychiatria forensi* binis horis moderabitur; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. hebd. hor. V—VII.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, 1) *publice* offert *examinatorium de rebus physiologicis* semel per hebd.; 2) *privatim a) physiologiae experimentalis primam partem* quinquies p. h. h. XI docebit, *b) physiologiam sensuum* tradet bis p. h. h. XII.

FRIDERICUS AHEFELD, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et instituti clinici obstetricii et gynaecologici director, ordinis Albertini Saxonici I. cl. eques et cruce Ruthen. civ. II. cl. decoratus, 1) *publice repetitorium rerum obstetriciarum* semel per hebd. h. v instituet; 2) *privatim a) clinicen artis obstetriciae propaedeuticam* moderabitur bis per hebd. h. xii, *b) artis obstetriciae theoriam (physiologiam graviditatis, partus et puerperii)* bis per hebd. docebit h. iv; 3) *privatissime a) operationes obstetricias* demonstrabit bis per hebd. h. iv, *b) clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. viii.

FELIX MARCHAND, med. Dr., pathologiae generalis et anatomiae pathologicae P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, cruce ferrea decor., 1) *publice aetiologiam morborum qui infectione oriuntur* docebit semel per hebd.; 2) *privatim pathologiam et anatomiam pathologicam generalem* tradet quinquies p. hebd. h. xii; 3) *privatissime a) demonstrationes anatomico-pathologicas* moderabitur et *artem cadavera rite secandi* docebit diebus Lunae, Mercurii, Iovis h. ii, *b) investigationes in instituto pathologico* offert.

AEMILIUS GASSER, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, 1) *publice examinatorium rerum anatomicarum* semel per hebd. instituet; 2) *privatissime exercitationes anatomicas adiuvantibus* Wagenero professore, Strahljo doctore moderabitur diebus senis per hebd. h. ix—xii et ii—iv; 3) *privatim anatomiam systematicam* tradet sexiens per hebd.

IOANNES MEYER, med. Dr., pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacologici director, 1) *privatim pharmacologiam* tradet quinquies h. v; 2) *privatissime et gratis investigationes* moderabitur in laboratorio pharmacologico.

MAXIMILIANUS RUBNER, med. Dr., hygienes P. P. O., instituti hygien. director, 1) *publice reget investigationes hygienicas*; 2) *privatim a) hygienes primam partem* quater per hebd. h. iv, *b) diueticam* tradet bis per hebdom., *c) de falsificationibus ciborum et potorum* disseret semel p. hebd.; 3) *privatissime exercitationes hygienicas* reget quater p. hebd.

## 2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. E. ordinis coronae Boruss. III. cl. eques, 1) *publice syndesmologiam* tradet die Veneris h. xi; 2) *privatim osteologiam* diebus Lunae, Martis, Iovis docebit h. xi; 3) *privatissime exercitationes anatomicas* una cum Gassero prof., Strahljo doct. moderabitur cottidie h. ix—xii et h. ii—iv.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., ordinis coron. Boruss. IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *publice theoriam partus* binis scholis docebit; 2) *privatim de morbis mulierum* binis scholis disseret.

## 3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel instituet; 2) *privatim exercitationes practicas in arte obstetricia* dirigit bis per hebd.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., *privatim a) medicinam forensem*, praecipue ios qui iurisprudentiae operam dant docebit ternis scholis h. iii—iv pomeran., *b) disseret de morbis infantum* h. viii—ix matut. ternis scholis.

ERNESTUS FRERICHS, med. Dr., *privatissime a) artem aegrotos inspiciendi, palpandi, percutiendi, auscultandi iunctis exercitationibus practicis* quinque per hebdomada. h. III docebit, *b) methodos subtiliores clinicas iis, qui iam in arte progressi sunt, explicabit* bis per hebdomada. h. VI, *c) explorationes chemicas et microscopicas, quae sunt necessariae ad morbos internos cognoscendos* ter per hebdomada. horis adhuc definiendis tractabit.

IOANNES STRAHL, med. Dr., *privatim a) anatomiam corporis humani* quinque per hebdomada. h. X docebit, *b) de historia generationis atque evolutionis* die Veneris h. V—VII disseret.

FRANCISCUS TUCZEK, med. Dr., *privatim psychiatriam propaedeuticam* bis per hebdomada. tractabit.

CAROLUS ROSER, med. Dr., 1) *privatim de fracturis, luxationibus et orthopaedia* ternis scholis disseret; 2) *privatissime repetitorium et examinatorium de rebus chirurgicis* bis per hebdomada. instituet.

## IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

### 1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., ordinis aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco eques, 1) *publice de curvarum punctis singularibus aliisque quaestionibus geometricis ope calculi differentialis resolvendis* disseret die Merc. h. XI—I; 2) *privatim calculi integralis partem priorem* quinque scholis h. IX docebit.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice doctrinarum politicarum historiam inde a med. saeculo XVIII usque ad med. saeculum XIX* enarrabit die Merc. h. IX; 2) *privatim oeconomiam politicam* docebit quater per hebdomada. diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologici director, Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice seminarii philologici sodalibus Terenti Adelphos* interpretandam proponet reliquasque *exercitationes* moderabitur diebus Lunae et Iovis h. VI; 2) *privatim grammaticam graecam* docebit sexiens per hebdomada. h. XI.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice leget elementa astronomiae* semel per hebdomada.; 2) *privatissime et gratis colloquia de rebus novis physices experimentalis* semel per hebdomada. dirigit; 3) *privatim leget physices experimentalis secundam partem ad phaenomena magnetismi, electricitalis, caloris sonique spectantem* h. VIII quinque; 4) *privatissime* reget *exercitationes physicas practicas* una cum Feussnero prof. quaternis diebus h. II—V.

CAROLUS LUCAE, philos. Dr., theodiscarum et linguarum et litterarum P. P. O., seminarii germanici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice seminarii germanici exercitationes* moderabitur die Merc. h. XII; 2) *privatim historiae litterarum theodiscarum priorem partem* tradet quaternis scholis h. XII.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparativae et philologiae teutonicae P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim phonologiam linguarum sanscritae graecae latinae germanicarum* docebit quinque h. XI; 2) *privatissime et gratis scriptores persicos*, item 3) *publice scriptores sanscritos* interpretandos proponet binis scholis h. X.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes philosophicas moderabitur*; 2) *privatim historiam philosophiae tradet quater per hebd. h. v.*

RICARDUS GREEFF, med. et philos. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, Christi ordinis Portugalensis commendator, 1) *publice demonstrationes microscopicas et zoologicas semel d. Lun. h. vi offeret*; 2) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam animalium vertebratorum docebit quinquens dieb. Lun. Mart. Merc. h. v, Iov. h. v—vii.*

IULIUS WELLHAUSEN, theol. et phil. Dr., philologiae semiticae P. P. O., ordinis philosophorum h. t. decanus, 1) *publice a) Dillmanni chrestomathiam aethiopicam commilitonibus interpretandam proponet semel per hebd. h. xii, b) elementa Syriaca docebit bis per hebd. h. xii*; 2) *privatim veterem Orientis historiam enarrabit ter per hebd. h. xii.*

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et litterarum recent. P. P. O., seminarii romanico-anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii romanico-anglici moderabitur quater per hebd. h. xi*; 2) *privatim carmen de Rolando interpretabitur quater per hebd. h. x.*

CONRADUS VARRENTRAPP, phil. Dr., historiae P. P. O., seminarii historici director, cruce ferrea decoratus, 1) *publice seminarii historici exercitationes moderabitur semel h. vi*; 2) *privatim aetatis reformationis historiam enarrabit quater h. iv.*

MAXIMILIANUS BAUER, phil. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineralogici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes de formis crystallorum dignoscendis in usum tironum moderabitur semel p. hebd.*; 2) *privatim a) mineralogiam et crystallographiam tradet quinquens p. hebd. h. x, b) in artem analyticam microchemicam per demonstrationes et exercitationes introducet horis binis.*

HENRICUS WEBER, phil. Dr., math. P. P. O., 1) *publice exercitationes seminarii mathematici moderabitur*; 2) *privatim a) theoriam functionum ellipticarum docebit quinquens p. h., b) theoriam functionum earum tradet, quae transformationibus linearibus non mutantur ter per hebd.*

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice repetitorium de chemia anorganica et organica instituet semel per hebd.*; 2) *privatim chemiae experimentalis partem secundam, i. e. chemiam anorganicam quinquens h. ix tradet*; 3) *privatissime moderabitur a) exercitationes practicas in laboratorio chemico cottidie ab h. viii ad h. v, b) exercitationes medicinae studiosorum in laboratorio chemico quaternis diebus.*

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *publice de Schillero philosopho disseret semel p. hebd.*; 2) *privatim historiam philosophiae antiquae quater per hebd. tradet*; 3) *privatissime exercitationes philosophicas moderabitur in Platone interpretando binis h. per hebd.*

THEOBALDUS FISCHER, philos. Dr., geographiae P. P. O., coronae Italicae ordinis centurio, 1) *publice de coloniis Germanorum deque politicis deducendarum rationibus disseret h. v*; 2) *privatim a) terrarum mediterranearum geographiam tradet diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. xii, b) Europae (praeter Germaniam terrasque mediterraneas) geographiam tradet diebus Mercurii et Saturni h. xii*; 3) *privatissime et gratis exercitationes geographicas moderabitur Iovis die h. vi.*

HERMANNUS PAASCHE, philos. Dr., scient. polit. P. P. O., 1) *privatim a) oeconomiae politicae partem practicam docebit quater p. h. h. v, b) de redditibus publicis disseret quater p. h. h. vi*; 2) *privatissime et gratis exercitationes oeconomopoliticas habebit die Merc. h. vi—viii.*

BENEDICTUS NIESE, phil. Dr., historiae antiquae et philologiae P. P. O., 1) *publice* seminarii historici *exercitationibus* praeerit die Merc. h. vi—viii; 2) *privatim a) antiquitates publicas Romanorum* tradet quaternis p. h. scholis h. viii, *b) coloniarum graecarum historiam* tradet binis p. h. scholis h. viii; 3) *privatissime et gratis exercitationes historicas* instituet h. definienda.

CAROLUS EBERHARDUS GOEBEL, philos. Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti pharmacognostici director, 1) *publice biologiae capita selecta* tractabit; 2) *privatim a) historiam plantarum cryptogamarum* tradet ternis per hebd. horis, *b) pharmacognosiam* binis per hebd. horis docebit; 3) *privatissime a) exercitationibus pharmacognosticis, b) laboratorio botanico* praeerit

ERNESTUS SCHMIDT, phil. Dr., chemiae pharmac. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice a) de venenis anorganicis inquirendis* disseret die Veneris h. iv, *b) rationes explorationis medicamentorum* docebit die Sat. h. ix; 2) *privatim chemiae experimentalis partem alteram* docebit quinquens per hebd. h. ix; 3) *privatissime exercitationes practicas* in laboratorio pharmaceutico-chemico moderabitur cottidie.

MAXIMILIANUS LENZ, phil. Dr., hist. P. P. O., seminarii historici director, 1) *publice a) in proseminario historico exercitationibus de hist. recentiore* praeerit die Veneris h. vi—viii, *b) doctrinae politicae inde a Thoma Aquinensi historiam* explicabit die Merc. h. iv; 2) *privatim res gestas inde ab Diocletiano usque ad Karolum Magnum imperatorem* enarrabit quater p. h. h. xi.

FRID. HENR. EMANUEL KAYSER, phil. Dr., geologiae P. P. O., instituti geologici et palaeontologici director, 1) *publice exercitationes palaeontologicas* moderabitur bis per hebd. horis suo tempore designandis; 2) *privatim a) geologiam historice* explanabit sive *de formationibus* disputabit diebus Martis, Mercurii, Iovis h. xi, *b) animalium inferiorum palaeontologiam* tradet diebus Iovis, Veneris, Saturni h. xii.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in seminario philologo *Longini qui fertur libellum περὶ ἔψους* interpretandum proponet, reliquas *exercitationes* adiunget; 2) *privatim a) litterarum latinarum historiae partem II* enarrabit ter per hebd., *b) Theocritum* interpretabitur praemissa *litterarum Alexandrinarum historia* ter per hebd.; 3) *privatissime et gratis exercitationes philologas* moderabitur.

## 2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* disseret *de quaestionibus analytico-geometricis ope calculi differentialis* tractandis bis p. h. h. ii; 2) *privatim* docebit *calculus integralem* quinis scholis h. x; 3) *privatissime* sed *gratis* moderabitur *exercitationes ad calculus integralem spectantes* hora posthac defin.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* proseminarii mathematici sodalium *exercitationes* moderabitur d. Merc. h. vi—viii; 2) *privatim a) eam geometriae analyticae partem, qua trium dimensionum ratio habetur*, tractabit quinis scholis h. xi, *b) aequationum algebraicarum theoriam* explicabit quater per h. h. xii.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice exercitationes archaeologicas* moderabitur die Lunae h. xii; 2) *privatim Platonis convivium* interpretabitur diebus Martis, Iovis, Vener. h. xii.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice* disseret de *diffractione luminis* semel p. h. h. VIII; 2) *privatim mechanicen analyticam* docebit quinis scholis h. VIII; 3) de *exercitationibus physicis practicis privatissime* moderandis cf. quae prof. Melde indixit.

GUILELMUS VIETOR, phil. Dr., philologiae anglicae P. P. E., seminarii romanico-anglici director, 1) *publice a) exercitationes* seminarii romanico-anglici moderabitur bis per hebd. h. XI, *b) Aschamii librum cui The Scholemaster inscriptum est* interpretabitur semel per hebd. h. VI; 2) *privatim grammaticam anglicam aevi recentis* docebit quater per hebd. h. IX.

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., chemiae P. P. E., 1) *publice chemiae historiam (partem primam)* enarrabit semel p. hebd.; 2) *privatim chemiam analyticam* ter seu quater docebit.

PAULUS NATORP, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur semel p. hebd.; 2) *privatim philosophiam Kantianam* tradet ter p. hebd. h. IV.

MAXIMILIANUS KOCH, phil. Dr., P. P. E., 1) *privatim historiam litterarum theodiscarum inde ab a 1796 usque ab a. 1832* tradet quaternis scholis p. hebd.; 2) *privatissime et gratis exercitationes de litteris* instituet singulis p. h. scholis.

GEORGIUS WISSOWA, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice a)* in proseminario philologico *Catulli carmina* explicanda sodalibus proponet, *exercitationes* reliquas moderabitur d. Lunae h. VI—VIII, *b) Taciti Germaniam* interpretabitur d. Mercurii h. X; 2) *privatim litterarum graecarum historiam* enarrare perget quater p. hebd. h. X.

BERNARDUS RATHKE, phil. Dr., P. P. E. Halensis, 1) *publice colloquia de recentibus in chemia inquisitionibus* una cum W. Roser Dr. instituet semel per hebd. h. VI; 2) *privatim chemiam theoreticam* docebit bis per hebd. h. V.

### 3. PRIVATIM DOCENTIUM.

BENNO KLEIN, phil. Dr., *gratis* tradet *geometriam situs* binis scholis p. hebd.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., *privatim a) theoriam et usum functionis Besselianae* docebit dieb. Lunae Iovis h. XII, *b) de theoria et arte accumulatorum electricitatis* disseret dieb. Martis Veneris h. XII.

IOANNES STOSCH, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes theotiscas* moderabitur semel per hebd.; 2) *privatim a) monumenta veteris linguae theotiscae minora* interpretari perget bis per hebd. h. VIII, *b) carmina Waltheri Vogelweidensis* interpretabitur bis per hebd. h. VIII.

FRIDERICUS GEORGIUS KOHL, phil. Dr., 1) *privatim a) anatomiam physiologicam plantarum* tradet bis per hebd. h. IV, *b) physiologiam plantarum crescentium* docebit bis per hebd. h. IV, *c) examinatorium de rebus botanicis* instituet bis per hebd. h. VIII; 2) *privatissime et gratis colloquium botanicum* instituet semel per hebd.

GUILELMUS ROSER, phil. Dr., *privatim de methodis syntheticis chemiae organicae* bis per hebd. disseret et *colloquium de studiis chemicis recentibus* una cum Rathke prof. moderabitur semel per hebd.

ALFREDUS FEIST, phil. Dr., *gratis Dantis Divinam comoediam* interpretabitur bis per hebd.

ANT. HUGO GEORGIUS DE BELOW, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes de reipublicae Germaniae historia* die Saturni h. xi moderabitur; 2) *privatim a) reipublicae Germaniae historiam inde a medio aevo exeunte usque ad hodierna tempora* die Mercurii h. x—xi, *b) rusticorum Germaniae historiam* enarrabit die Mercurii h. v.

FRIDERICUS KAUFFMANN, phil. Dr., 1) *gratis a) veteris linguae theodiscae exercitationes* moderabitur semel per hebd., *b) veteris linguae septentrionalis exercitationes* offert semel per hebd.; 2) *privatim elementa litterarum Anglosaxonicarum* tradet ter per hebd. h. xii.

REINHARDUS BRAUNS, phil. Dr., 1) *gratis de lapidibus pretiosis* disputabit semel per hebd. die Mercurii h. ii; 2) *privatim crystallographiam mathematicam* tradet bis p. h. h. ii.


---

IULIUS LEY, phil. Dr., professor, linguae hebraicae lector, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *gratis leges metricas poesis hebraicae ipsis carminibus illustrandas* tradet d. Mart. et Vener. h. xii; 2) *privatim docebit a) linguae hebraicae elementa adiunctis legendi et interpretandi exercitationibus* quaternis scholis h. xi, *b) linguae hebraicae syntaxin cum lectione sacror. librorum coninctam* quaternis scholis h. iii.

H. OSCARUS SOMMER, phil. Dr., linguae anglicae lector, 1) *gratis exercitationes seminarii romanico-anglici* moderabitur bis per hebd.; 2) *privatim historiam litterarum anglicarum XVIII<sup>mi</sup> saeculi* enarrabit ter per hebd.; 3) *privatissime et gratis operum Schilleri selectorum in anglicum sermonem vertendorum exercitationes* semel per hebd. moderabitur.

---

Musicorum concentuum director OTTONE FREIBERGIO dimisso propediem designabitur; quisquis erit, musicas scholas offeret sollemnes. Delineandi et pingendi artem FR. SCHUERMANN docebit; idem octrinam projectionum et geometriam descriptivam semel gratis tradet. Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.













UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA

913.3768530 C001  
DE ROMAE URBS NOMINE OEQUE ROBORE ROMAN



3 0112 023866285